

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter Ipsa an
te mulieres omnes scitate prece
lente: puto quod intelligit quod aiand
nent. Nam alie quidem partes gra
m memuerunt. ipsa autem plena
gratia ab angelo salutatur. **Hec an**
telus. Oratio. Illuc uirga uesse
florida et fructifera maia uir
go beatissima. de qua uincit ille
et singularis flos et fructus pro
dit. in uirtutum spiritualium genere eru
pit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in
mitens dulcorē. flos cuius uoi
tas expellit mestitiam: fructus
cuius sacietas uenenam dat letitiam
Benedicta uirga de radice uesse:
uirtus et flos: quod de tali ra
dice ascendit. Benedicta arbor ben
dictus et arboris fructus. Tuo er
go flore me reuere: tuo fructu
ab omni miseria me libera: uirgo
maia in eternum benedicta. amen.

De reptione iohannis bap^{te} Ca. iii

Vit autem in di
ebus illis. factus
in diebus hero
dis regis iudee.
sacerdos quidam
noie sachaias
de uita abia: et uxor eius noie

quantum ad obseruanciam ceremonialium:
sine querela. quantum ad obseruanciam
iudicialium: quod pacifice se ad proxi
mos habebant. Et non erat illis
filius propter stilitatem: quod est causa
specialis mulieris. Ex quo apparet
receptio precursoris miraculosa: quod
non fuit tantum per naturam: sed per
naturam gratia diuina adiuta. **I**
Iste herodes de parte ydumeo de
cendens fuit alienigena: et iam cep
trum ablatum fuit de iuda: et
ideo tempus aduentus christi instabat: quod
iacob patriarcha spiritu prophetico sig
num aduentus christi prederat. quoniam reg
num iudee ad alienigenam translatum
esset dicens. Non auferet ceptrum
de iuda etc. **E**t sciendum est hic
quod cum moyses uincit instituisse su
mum sacerdotem. cui mortuo unus per
ordinem succederet: dauid uolens im
plere cultum domus domini. de xxiiii fa
miliis quod descenderat ab aarone in
stituit uiginti quatuor sacerdotes: su
per quos unus maior erat et su
mus omnium: quod dicebat princeps sac
dotum. Instituit etiam ut uicissim mi
nistrantes per ebdomadam a sabbo
usque ad sabbatum tempore uias sue
singuli castimoniae student: nec
interim in domum ipsam intraret:
sed in domiciliis circa templum

ms. 001A

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Sammlung mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter sind
einige mathematische.

Herman. Conringus
c. 15. 15. c. XL.

F. III. 6.

25
27
31
41
57
61
71
81
91
101
111
121
131
141
151
161
171
181
191
201
211
221
231
241
251
261
271
281
291
301




1)	Georgij Calyxi	de Iustitiâ	A ^o 1609.
2)		de Enunciatione.	A ^o 1610.
3)		de syllogismo.	A ^o 1610
4)		de methodis.	A ^o 1610
5)		de causis in specie.	A ^o 17.
6)	Joannis Wolfij	de veritate et existentia metaphysicis.	A ^o 1601.
7)	Leonardi Haracij	de natura part. et instrumentis philosophicis.	A ^o 1612.
8)	Leon. Haracij	Ethicarum I de nat. philosophicis.	A ^o 1610.
9)	"	de habitibus mentis in communi.	A ^o 21.
10)	Nicolas Granij	de Mathesi Petri Rami I.	A ^o 12.
11)		de Mathesi P. Rami II.	A ^o 12.
12)		Ethicarum I.	A ^o 6.
13)		II.	
14)		III.	
15)		IV.	
16)		V.	
17)		disputatio Ethica.	A ^o 9.
18)		Politicarum IV ^a de consuet. rerum publicis.	A ^o 8.
19)		de Enunciationibus absolutis etc.	A ^o 5.
20)		Rhetoricarum I.	
21)		II.	
22)		de affectionibus mistorum.	A ^o 7.
23)		Encyclopedias disputatio I. de philosophia in genere.	
24)	Martini Biermanni	de generatione et corruptione.	A ^o 1589.
25)		de Magicis actionibus.	90.
26)	Theodori Adamij.	prooemium civili prudentie.	A ^o 1607.
27)		de formis rempublicarum.	A ^o 8.
28)	Frisconi. Galbini	Physicis. 1 ^{sta} de caus. per se et per accidentia.	A ^o 1.
29)	Suaconi Iona	de Rhetoricis disciplinis.	A ^o 5.
30)		Physicis. 2 ^{da} de distributione Physicis	A ^o 5.



31)	Francisci Crugeri de generi rerum artificialium.	1603
32)	Andree Libavii de Jesu.	1589.
33)	Christophori Mulleri de natura philosophica.	1623.
34)	_____ de summo bono	1624.
35)	Christophori Heidmanni de Formidone.	1616.
36)	Alberti Westphali de principiis actionum humanarum.	1607.
37)	Georgii Kaduzini Logice prima I.	1608
38)	_____ II.	1608
39)	Jacobi Martini Hagozi Sophyriana.	1593.
40)	Adami Luchtenij de demonstratione -	1606.
41)	Joannis Vincolbergij de natura Logice Aristotelica.	
42)	Andree Timpleri quaestiones Logicae & Rhetoricae.	
43)	Conradi Horneji de forma syllogismorum.	1600.
44)	_____ de oppositione propositionum.	1603.
45)	Henrici Huberini de locis topicis	1600.
46)	Cornelii Martini Logice primae.	1606
47)	Alexandri Vassae de quaest. Logicae XII.	I. 1618.
		II.
		III.
		IV.
		V.
		VI.
		VII.
		VIII.
		IX.
		X.
		XI.
		XII.
58)	Andree Polomani de philosophia in genere -	1609.
59)	_____	I.
		II.
		III.
		IV.
		V.
		VI.
		VII.
		VIII.
		IX.
67)		





Deo auspice & duce
DE
GENERATIO-
NE ET CORR-
ptione ἀπολώσεως;

illarum τῶ λόγῳ ἐπιώδης;

THEOREMATA

κατασκευαστά,

ἀνασκευαστικά,

Proposita

*Arbitrio & censura rectè ac sobriè
philosophantium*

In

Illustri Iulia

à

Martino Biermanno Ascanio. D.

Respondente

Hinrico Hesso Brunouicensi.

Ad 10. diem Iulij.

Helmstadij excudebat Iacobus Lucius, Anno 1589.



Theorema I.



Generatio & corruptio sunt proprietates seu affectiones corporis naturalis, non cuiuslibet tamen sed certi tantum generis.

2. De his considerantem, animo constitutum antè habere oportet, quid nomina significant. Aristoteles verò initio i. de generat. & corrupt. etiam expressè tradit (quod peruerso veterum vsus postulabat) appellationibus istis non intelligendam esse, neq; congregationem aut segregationem, neq; alterationem, sed totius mutationem, quæ fit in materia & forma, partibus essentialibus rei.

3. Constituta vocabulorum significatione, prima quæstio est, An sit generatio ἀπλῶς seu vera? Qui sensus testimonio standum censet, nihil negauerit: qui ratione potius agendum iudicat, etiam addubitauerit.

4. Ratio sic colligit. Si sit generatio simplex & absoluta, erit illa nimirum ex eo, quod omninò & absolutè nihil est. Hoc autem falsum, imò inconueniens est. Consequentiam declarat analogia. Vt generatio secundum quid, ex non Ente secundum quid: ita generatio absoluta, ex non Ente absolutè. Falsitas consequentis, quocunq; ἢ ἀπλῶς ὄντι significato innotescit. Aut significatur primum prædicamentum, quod est substantia: vnde ex eo, quod non est substantia, generabitur substantia. Aut intelligitur Ens illud, quod sinu suo continet omnia prædicamenta: itaq; ex eo, quod omninò nihil est, existet res.

5. Hæc sanè ratio, si commodè capiatur, vera est, & nec ipsis Aristotelis dogmatis dissentanea: nec tollit è medio, sed confirmat veram generationem. Refellitur verò ab Aristotele, eo, quo veteres voluerunt sensu: & rectè.

6. Solutio est talis. Ens distinguitur potentia & actu. Hinc & negatur consequentia: quia res sunt ex materia, quæ non est absolutè NON ENS, seu penitus nihil; sed Ens potentia: Et concessa consequentia, negatur falsitas consequentis; quia cum generentur res ex materia, hæc scilicet Ens simpliciter, hoc est,
Ens.

Ens actu dici nequit. Duplicem istam solutionem vnius materiae anceps natura praebet.

7. Sic soluta est ratio. Esse autem generationem, eadem causâ demonstratur, qua perennitas generationis seruatur. Hæc materia est, quæ nec esse potest absq; omni forma: nec vnâ perpetuò contenta formâ: nec duabus simul substantiis insignita formis. Vnde vtrumq; euenire necesse est: vt generatio rerum sit: vt generatio vnius, corruptio alterius sit.

8. Sed quæ materiae causâ existit, potentia generationis imò generabilitas saltem intelligatur. Ita enim causæ potentia, effectus potentia, ritè adiudicatur.

9. Cum generatio alterius est corruptio alterius, mutatio ipsa re est vna, ratione duplex.

10. Sed in duplicata ista mutatione, quæ fit, quod non semper ambæ verbis efferantur; sed aut dicatur absolutè generatio vel corruptio; aut si adeò reliqua adiungitur, ea tamen non dicatur absolutè, sed cuiusdam rei? Quod ita se habet. Cum homo nascitur aut moritur, dicitur absolutè generatio & corruptio. Quod si reliqua additur mutatio, hæc non simpliciter profertur, sed dicitur corruptio seminis, aut generatio cadaueris. An hoc eò fit, quòd res genita corruptaq; non æquè notæ sint? Responderit vero Aristoteles, id fieri ob diuersam rerum naturam, quæ generantur & corrumpuntur. Si nobilior res prodeat, vilior occumbat, generatio simpliciter dicitur: si contra eueniat, corruptio vocatur.

11. Materia porrò quæ mutationes hasce parat & fouet, & eadem est amabarum mutationum, & diuersa: illud quidem essentia, hoc verò existentia.

12. Sequitur quæstio, quid sit Generatio & corruptio. Mutatio totius, nullo sensibili restante, vt subiecto eodem, est generatio alterius, corruptio alterius, Aristoteles I. de generat. & corr. tex. 23.

13. Hæc definitio, si pro re & instituto Aristotelis iudicetur, omni nota caret: si absolutè citetur, abundantior est. Satis enim est: mutatio totius. Hinc etiam atq; etiam videndum est, quæ definitiones magnorum autorum, quo loco adducantur: ne &

ipsi auctori conuictum, & legibus veri certiq; incertitudo inferatur.

14. Ac voluit Aristoteles hac definitione generationem differre seiuictam ab alteratione, in qua subiectum sensibile manet idem, & accidens seu *subiectum* solum mutatur.

15. Mutatur totum, quando vltima & specifica forma, qua totam essentiam rei constituit, a statu suo dimouetur. Cum itaq; extincto animali relinquatur cadauer, illud quidem materia & forma constans, mutatio tum quoq; tota accidit.

16. In mutatione autem substantiali corporum simplicium, quibus vna solum obtigit substantialis forma, si haec intereat, accidentia tamen quaedam salua relinqui possunt. Nec vnquam interneciua ista formarum clades fit, qua praeter materiam, nihil sit reliquum.

17. Dubitaueris: simplicibus an compositis rebus generatio & corruptio primo debeantur. Dicis: simplicibus. Ego vero & contra, compositis, inquam.

18. Atq; his ferè exponitur ratio Quidditatiua, quam vocant, generationis & corruptionis. Causas earundem Aristoteles singulari doctrina executus est.

19. Sed video doctrinam Aristotelis de generatione minus commodè a quibusdam accipi & tractari.

20. Hi, vt fasciculo complexi videantur, qua sparsim Aristoteles ea de re differit, inter caetera de subiecto generationis referunt auctoris ista: Subiectum in generatione simplici aut omnino nihil est actu, priusquam mutatio incipiat, sed est materia prima, qua pura est potentia. Cap. 1. lib. 3. Phys. Addunt illi de suo: Quod certè non nisi de prima generatione, quam nulla alia antecessit, si qua talis fuit (de quo posterius dicemus) intelligi vllò modo potest. Pergunt postea ex auctore: Aut certè tale est subiectum in generatione simplici, vt nihil maneat, quod idem specie permanens, sensum mouere possit. Cap. 4. lib. 1. de generat: Addunt & hic: Id quod in singulis, qua quotidie eueniunt, generationibus simplicibus non difficile obseruare licet.

21. Haec, qua dexteritate allegentur & accommodentur, videndum est. Nunquam Aristoteles, nec isto etiam, quod citatur quin-

tur, quinti Phys. cap. 1. materiam nudā potentiā, omniq; forma
exutam extitisse aut extare asserit, priusquam mutatio incipiat:
sed nec in ipsa mutatione, vel articulo informem concedit. Hinc
illud plus quam è tripode: Generatio alterius est corruptio alte-
rius. Dicto autem capite, vt mutationem à motu dirimat, illam
ex non subiecto in subiectum proficisci ait: hanc verò è subiecto
in subiectum. Ex quo scilicet conicias, non subiectum, hoc est,
vt Aristoteli placet, Ens potentiā, prius extare, indeq; genera-
tionem oriri. Sed quidnam subiecti nomine Aristoteles indi-
cat? Sanè, non subiectum existentiae, sed denominationis. Sic
enim ipse: λέγω δὲ τὸ ὑποκείμενον, τὸ κατὰ φύσιν δηλόμενον. Quan-
quam igitur illud, à quo & motus & mutatio incipit, si existen-
tiam spectes, ex æquo sit subiectum seu Ens completum: non ta-
men utrobique dici denominariq; potest subiectum. Motus enim
ex eo ducitur, quā subiectum est; cum praesertim accidentis sub-
iectum dicatur Ens completum: Mutatio autem ex eodem, non
quā subiectum, sed quā non subiectum est, enascitur. At termi-
ni mutationum designandi sunt eo, quod per se est, non eo quod
accidit. Hoc apertè & plenè explicauit Aristoteles toto octauo
cap. 1. Phys. vbi inter alia: fit animal, inquit, ex animali, non quā
animal prius esset, sed quā non animal.

22. Quod autem isti, iam inde ex primaeva repetunt genera-
tione, huius materiam, antequam mutari cœpta esset, purā po-
tentiā constituisse: asseuerationi philosophi naturalis ineptum &
incongruum est. Si enim nunc ἀνιφυσικόν est, materiam seor-
sim à forma subsistere: ergo nunquam potuit per naturam ma-
teria separatim subsistere. Quæ iam ratio est physici δυσφυσικὸς?

23. Ridiculum porrò, de prima generatione (de qua Aristo-
telis isthic loci nec somnium) qualicunq; fucato & extraneo
testimonio temerè potius asseuerare, quam propriis rationibus
ex conuenienti libro 8. Phys. cum Aristotele disputare.

24. Alterum testimonium de subiecto generationis ex primi
de Ort: & Inter: cap. 4. quoniam nec integrè, nec, quo datum est
ab Aristotele modo, redditur, falsum profert. Enimvero in
generatione est materia, manet etiam accidens idem sensibile,
vt perspicuitas in permutatione aëris in aquā: id quod expressè

Aristoteles tex: 24. illius libri monet. Ergo in generatione est subiectum tale, vt maneat aliquid, quod idem permanens, sensum mouere possit. Falsum igitur ab illis dicitur. At longè aliter Aristoteles: qui & negat in generatione remanere sensibile quid: & addit: tanquam subiectum idem. Nam accidentia quæ in generatione persistunt, non sunt subiectum, quod verè recipit formam substantialem aut accidentalem, quæ mutatione accedit. At compositum ipsum, quod sensibile est, & in alteratione seruetur integrum, verè est subiectum recipiens formam alteratione inductam. Illud quoq; sententiæ Aristotelis dissonum dicitur, subiectum sensibile in generatione idem specie non manere. Cum enim in alteratione idem numero subiectum sensibile velit relictum: qui potuit in generatione, quam cum illa in contentionem adducit, idem non intellexisse?

25. Sed rationes illorum, quibus Aristotelis doctrinam redarguunt, subducamus.

26. Primum habent illi, quod contra Aristotelem abnegent primam, quæ cœperit, generationem. At mirandum est ingenium hominum, quod, vt alienam laudem in se transmoueat, alienum crimen recipit. Quid enim irreligiosius ab Aristotele dictum iudicatur, quam quod motum ratione concitauerit æternum? Hanc tamen notam isti subeunt spontè, dummodo quid Aristoteli derogent.

27. Agè verò ipsam rationem putemus, non rebus sed verbis paucioribus expositam. Per primam generationem (inquiunt) aut corpus simplex aut mixtum, quod prius nullo modo actu erat, sed facultate & potentiâ tantum, ortum esset: quia generatur id solum, quod compositum est: At neutrum. Nam si simplex: non potuisset nisi Elementum, aut vnum, aut omnia. Sint ergo Elementa primò genita, ex principiis ijs, quæ ab Aristotele rerum omnium initia posita sunt. Et hoc testatur Aristoteles 1. cap. 2. lib. de generat: his verbis: Nos autem corporum, quæ sensu percipiuntur, materiam esse quandam censemus, eamq; non separabilem, sed semper cum repugnantia coniunctam, ex qua Elementa oriuntur. Deinde subiungit: principium quidem & primam esse materiam, quæ sit illa quidem inseparabilis, sed quæ

quæ contrariis subiiciatur. Neq; enim calor frigoris materia est, nec caloris frigus, sed id quod utriq; substernitur. Ita fit, ut primum quidem corpus, quod eam vim habet, ut sub sensum cadere possit, principium sit: deinde contraria, ut calor, ut frigus: tertio simul ignis & aqua, quæq; sunt generis eiusdem. Quibus verbis aperte significat, Elementa, cum aliquando non fuerunt, genita esse hoc ordine, ut primò materia subiecta sit, deinde ea contrarijs qualitatibus, ut forma, afficiatur: tertio ex materia & forma efficiatur corpus, quod elementum appellatur. Quæ nisi his verbis significantur, aliud cogitet, aliud dicat & scribat necesse est: totumq; eius consilium de rerum primis principijs inutile sit oportet, si modò frustra ea constituantur, ex quibus nihil vnquam gigni ac procreari possit. Quod si autem elementum hoc ordine atq; ex talibus principijs generatum sit, cum prius non fuisset: Aristoteles sibi ipse contradicit: cui omnia elementa secundum se tota æterna sunt, quamuis secundum quasdam sui partes, vicissitudine quadam ex sese mutuo fiant & gignantur, cap. 2. lib. 1. de generat: Ac si totum vniuersum æternum esse & originis expers constituit cap. 1. libri 8. Phys. sine partibus certè, in quibus elementa principes sunt, æternis constare illud non potuit. Hæc illi.

28. Hoc argumentum, multis contextum partibus, particulatim retexemus, & in plures contextus distribuemus. Primum autem nulla est necessitas disjunctionis primæ. Nam si nunc temporis, ordine naturæ sibi vndiquaq; consentiente, corpus simplex ortu præcedit mixtum: ergo & prima generatione quod primum extitisset, non aliud quàm simplex fuisset. Frustra ergò ostentatur mixtum.

29. Istud autem elementum, quod ponitur primum, vnde esset enatum? ex aliquo, uti vis, quod prius extiterit. Extitisse autem nihil potuit, nisi quod actu pleno esset. Ergo ex Elemento priori genitum fuerit hoc posterius: ita tamen ut prius istud continerit in se materiam elementi posterioris, ex illaq; materia, sequens elementum per se (hoc est, quate-

quatenus materia:) ex ipso autem Elemento præcedente per accidens (quia non ex eo, quatenus elementum, sed quatenus non elementum esset) productum fuerit. Inquies: Itane primo elemento fuerit aliud prius? An mirum (inquam) si ex vno impossibili sequatur reliquum? Si per te natura potuit primam moliri generationem, cum rerum nihil omnium extaret actu: etiam potuit inuenire quod extaret actu, è quo materiam primi operis sumeret: id quod necessario elementum fuerit; cum nec quoduis generetur ex quouis, & mixta ortu sint posteriora. Hoc ipsemet, inscius tamen & imprudens fateris, cum ais prima argumenti propositione: per primam generationem corpus ortum esset, cum prius nullo modo actu, sed tantum potentiâ & facultate extitisset. Quod facultate (inquam) & potentia existit parte sui quadam existit (alioquin non existeret) in alio quod actu fit. Ac profectò (si christianismo nostro agamus) non aliter primam capisse generationem statuendum est, quàm ita, quod rebus jam creatis, ac diuina virtute integrè constitutis, Natura Dei ministra, jussu accepto suum opus aggressa, pro ea, quæ suppetebat, rerum incredibili copia & varietate, ex elemento genuerit elementum aut mixtum, ex mixto elementa, ex animali animal &c. Quod etiam hodie, Natura jussus diuini obseruantissima, præstat & exequitur. Hanc naturæ vim & constantiam cum Aristoteles oculis & animo perlustraret, & religiosa tamen fide, de prima & stupenda præpotentis Dei effectione rerum omnium ex nihilo, careret: de Natura quidem rectè sibi persuasit, eam nihil, vltra quàm posset, tentare, nec generare, nisi antè existeret genitum: generationem vero ipsam motumq; in natura omnem, profanè asseruit serie infinitum. Verum cum omne quod fit, ex alio fiat, quod integrè absoluteq; præextitit: ratio tamen nostra (quæ essentiam rerum accuratissimè secernit & quid cuiq; necessitate insit, solerter expendit) generationem ex Non Ente, seu Ente potentiâ fieri decernit: quia id, quod prius extabat, nihil necesse habuit, vt fieret: postea verò quàm mutatum est, non abiit totum & secundum naturam suam (quæ forma est, & ipso nomine significatur) in rem genitam; sed parte solummodo quadam sui, quæ materia est, & quæ,

quæ, quandiu inerat priori rei, nondum erat, fieri tamen poterat res subsequens, iam autem facta, per se & necessitate inest posteriori. Hinc elementum, quod primò omnium natum sumus, ex alio natum esset elemento, sed non quatenus illud elementum erat, hoc est, non quatenus integrum perfectumq; subsistebat, sed quatenus in ipso erat materia, quæ nondum erat sequens elementum, at fieri poterat. Viden' quò tua feratur ratio? ut nimirum pro Aristotele faciat, cui aduersa fingitur, ipsumq; Aristotelem æternæ generationis assertorem ac vindicem, agnoscat & pronunciet.

30. Sed instas: Si elementum primum non est genitum ex principijs, ortui rerum ab Aristotele destinatis: ecquisnam eorum erit usus? Video philosophum hunc nihilo saniora de primordijs elementorum cogitare, dicere atq; scribere, quam Empedoclem, qui è sphæro quodam confuso, incertæq; naturæ mole, illa educebat. Sed consilium Aristotelis de principijs rerum primis, ipsorumq; principiorum usum referamus. Nec verò hoc continuo rerum decursu alius, quàm sub præruptum rerum omnium auspiciu, usus: nec maior olim, quam hocce sæculo, illorum fuit necessitas. Quæ naturâ constant, tum consistunt in singularibus, tum in speciebus subalternis, tum in vniuersa collectione generis, quo naturalia à non naturalibus & arte factis omnibus distincta intelliguntur. Ut autem nihil sine principijs & causis existit, ita & singularium quæ in natura sunt, & specierum, & generis communissimi, sua sunt cuiusq; & propria principia, quibus constituentur & cognoscantur. Verùm de singularibus nulla potest esse exacta cognitio, quia nec de singulis tantum, nec de omnibus distinctè potest: ideoq; nec ipsa, nec ipsorum principia aut proprietates (quatenus talia) scientia & doctrina comprehenduntur. Specierum ea fors est, ut definiantur, ut demonstrantur. Atq; huic rei tota scientiæ naturalis opera impenditur, ut, quæ in vnaquaq; specie, subiecti cuiuslibet, principia, causæ & proprietates proximæ sint, liquidum euadat: quo non minus definitiones quàm demonstrationes conficiuntur. Itaq; & Elementorum, & mixtorum, & animatorum, cuiuscunq; ordinis, principia & affectiones eruuntur, in sua quæq; specie.

B

Satis

Satis illa forent, ad condendam de naturalibus rebus scientiam & doctrinam, nisi vnum de foret, illudq; cum primis necessarium. Vno scientia posita est in vno subiecto: atq; ex aduerso, diuersitas in diuerso. Quod si iam tot subiecta naturalia, quot sunt specie distincta, vna cum principijs & proprietatibus, specie item differentibus, vltro citroq; digererentur, vix satis coalesceret & conformaretur ipsa scientia. Imò verò cum genus commune præsto sit, nisi & huius ratio habeatur, ne quidem sufficiens & integra videretur institutio. Addo etiam, quod nec ea, quæ debebatur, ordinis venustas & dexteritas scientiæ adderetur, omissio primo genere. Quocirca Aristoteles, vt ne subiectum genus huius scientiæ supremum ac primum negligeret, & vt scientiam verè vnam construeret, ordinemq; decenti perficeret, ab vniuersali exorsus, ipsum corpus naturale, quatenus tale, simul & principia ac proprietates, tali subiecto æqualia & conuenientia (omnia enim in scientijs debent esse καθόλου & reciproca, subiectum, principia & proprietates:) talia, inquam, Aristoteles, prima quaq; doctrina naturali proposuit & expediuit. Ex quo patet, principia illa prima & communissima esse primæ ac communissimæ rei in scientia naturali, videlicet corporis naturalis, quatenus naturale, principia: cuius affectiones & mutationes, non minus communissimæ ac primæ, principijs hisce demonstrantur. Cum autem sophisticum sit, principia & affectiones generi proprias, subditæ attribuere speciei: (alia enim est natura speciei, quam generis:) certè, vt prima ista principia, siue elemento, siue cuius speciei, primò adiudicentur, & propria dicantur, sine sophismate & calumnia maxima fieri non potest. Habent, inquam, singulæ species propria & specialia principia, quibus generentur & constituentur: animata enim fiunt ex semine & anima, mixta ex Elementis & forma mixti, elementa ex materia & forma elementari: adeoq; ἄλλω εἶδός ἄλλη ὕλη. Nec quicquam est, quod in specie certa constitutum, ex materia prima immediatè genitum substituatur, sed tantum sub vltimi ac supremi generis ratione quatenus videlicet corpus naturale sit. Hinc Arist. i. phys. penult. textu materiam primam definit, τὸ πρῶτον ὑποκείμενον, hoc est,

hoc est, communissimum & remotissimum subiectum: eodem
planè sensu, quo i. textu i. Phys. τὰ ἀπὸ τὰ πρῶτα ἢ τὰς δεξιάς
τὰς πρῶτας, vniuersales & remotissimas causas vocauerat, quas
ad plenam rei cognitionem afferre oportet. Et addit Aristoteles
in definitione: τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἐκάστω, vt ostendat, mate-
riam primam, generis ratione omnium rerum naturalium esse.
Addit præterea: ἢτε φθείρεται π, εἰς τὸ ἀφίξεται ἕχατον: quia
vt res singulæ generantur ex hac materia, tanquam subiecto re-
motissimo, ita etiam desinunt in eandem extremam & antiquis-
simam. Hinc etiam Aristoteles de materia prima tum saltem
meminit, cum affectio generi communissimo æqualis demon-
stranda est. Ita generationem & corruptionem, omni generi na-
turalium rerum, quæ generabiles & corruptibiles sunt, commu-
nem, demonstrat per materiam i. libro de ort. & inter. Hanc e-
andem ob causam, materia ista dicitur esse omnia: quia sit prin-
cipium corporis naturalis, quo continentur omnia: & quia quæ-
libet, cuiuscunq; speciei propria materia, sit huic primæ & com-
munissimæ subiecta. Dicitur & nihil esse, quia nec huius nec il-
lius rei aut speciei definite & necessariò sit. Quinetiam æterna
dicitur, vt Aristoteles censet, potentiâ, hoc est vniuersali ratio-
ne. Sic materiam primam Aristoteles considerat. Nec aliter
cum forma communissima agit, quam Naturæ nomine inducit
2. libro physic. Hanc enim cum principium motus actiuum (qua-
tenus forma est) indifferens faciat: tum differentes specierum
actiones, differentibus & specificis formis imputat. Animato-
rum enim actiones ab anima: mixtorum inanimorum effectiones
à forma mixti: elementorum ἐνεργείας à formâ elementi petit:
nec vnquam Naturam vniuersalem, definitæ & specialis effecti-
onis causam adæquatam statuit. Quocirca si Aristotelem ma-
lumus de dogmatis Aristotelicis censorem audire, quàm nostro
ipsorum præiudicio stare, non est quod de principijs rerum pri-
mis aliud sentiamus aut dicamus, quàm illa doctrinæ plenæ ac
concinnae gratiâ instituta esse, vt quæ omnibus speciebus æquo
iure debentur, vniuersali ratione simul & semel proponerentur,
reseruatis ad suum locum iis, quæ singulis speciebus seorsim ac-
commo-

commodanda sunt : atq; vt ex vniuersalibus particularia, ex primis secunda, ex his tertia, pulcerrimo doctrinae ordine extruerentur : qua profecto re, dici non potest, quam festiue scientiae deficientur. Sicut ergo omnes corporum naturalium species ad vnum reuocantur genus supremum, ex quo per suas differentias gradibus factis, prius posteriusq; educuntur : ita etiam omnia specialia rerum naturalium principia, contrahuntur in vnam *πρῶτην* primam & generalem (quia, vt Arist. ait, *μία ἐναντιώσις ἐν παντί ἧς ἐνί*: ea autem est oppositio potentiae & actus, seu materiae & formae) qua ipsum genus communissimum constituitur, ex qua etiam omnia specialia principia, aptissima causarum superiorum & inferiorum serie & connexionem veluti catenatim pendent. Ex prima enim materia primò prodit materia Elementorum. Vnde Aristoteles primas materias dicit esse quatuor, lib. 4. de caelo. Nec differunt secundum rem & existentiam, prima illa & elementorum materia, sed ratione tantum. Eadem enim ipsa materia, si concipiatur essentia suâ, hoc est, quatenus materia, dicitur prima: si consideretur contractius, vt iam infecta sensibilibus qualitatibus, & ad recipiendas elementorum formas instructa, vocatur materia elementorum. Tum elementa fiunt materia mixtorum similium, atq; hæc euadunt materia animatis : & sic in cæteris. Vt proinde pulcerrimo totius doctrinae ordine, à communissimis principijs per interiecta, gradatim fiat descensus ad vltima & angustissima. Idem enim planè de formarum serie & consecutione statuendum est: ea tamen cautione, quod ex priori seorsim forma, non fiat posterior, tanquam è subiecto : sed quod prior, quæ in materia fuit, vt posterior adesse possit, à statu suo, ceu capite diminuta recedat, & ad materiae consortium transeat.

31. Superest, quæ autoritate Aristotelis 2. de generat. & corr. cap. 1. proferuntur, rectè interpretemur. Alienissimum autem est ab Aristotelis mente & doctrina, eò loci repeti & describi primarium ortum elementorum, quo, cum antea non fuissent, recens extitissent : quod & tota istius capituli doctrina conuincit aperte. Nam cum antiquum Philosophorum errorem exposuisset, qui excepto Platone vno (quanquam nec ipso rectè sentiente) ele-

te) elementis nihil prius habebant, & tūm ipsa ingenerabilia reddebant, tūm aut vnum, aut plura, aut omnia, materiam & substantiam omnium omninō rerum constituebant: textu demum sexto, suam fert sententiam ita: Est corporum sensibilibum (elementorum) quaedam materia, illa quidem seorsim non existens, sed perpetuō contrarijs qualitibus coniuncta, ex qua fiunt elementa, quæ vocantur. Dicitur autem est de ipsis (elementis) alibi accuratius: (in 3. libro de cœlo) Attamen cum iusto modo ex materia sint elementa illa prima, decernendum & de his, ita vt principium & primam illam materiam (intellige non absolute primam, sed in certo genere, hoc est primorum elementorum materiam: ideo non ait, τὴν πρῶτην ὕλην sed πρῶτην τὴν ὕλην) supponamus esse, illam quidem inseparabilem, & contrarijs subiectam. Neq; enim calidum est materia frigidum, nec contrā, sed subiectum amborum. Itaq; primum quidem corpus potentiā sensibile, est principium. Secundo loco sunt ipsæ contrarietates, vt caliditas, frigiditas. Tertio iam est ignis & aqua, & id genus reliqua: hæc quidem inter se transmutantur. Hæc Aristoteles. Quibus verbis nihil aliud agit, nisi vt ostendat, elementis quoq; suam esse materiam, contrā quā veteres senserunt. Quod hoc quidem loco supponit, & inductione tamen comprobat, quæ ad hanc vniuersalem rationem redit: Contrarium non est materia contrarij, sed subiectum commune amborum. At elementa sunt mutua sibi materia. Ergo in elementis non est sola contrarietas, sed subiectum contrarietate affectum. Inde resoluit Elementum in ea, in quæ ratione dissolui potest: materiam nudam, qualitates, & formam, quæ facit esse ignem, aquam &c. In primis hoc ex loco obseruandum est, quæ sit materia Elementorum propria, nempe subiectum inseparabile, contrarietate, hoc est, qualitate affectum.

32. Atq; his contra primam scilicet generationem allatis, pergunt isti agere de primis principijs Aristotelicis, qualia ista sint, & quomodo ex ijs elementa fieri possint. Negant materiam primam esse principium elementorum. Negat & Aristoteles, principium esse proximum. Ergo vt prior de generationis exortu contra Aristotelem causa fuit, ita & hæc de materia. Sed cur ne-

gant? Supponunt descriptionem materiæ, quæ sit ab omni forma substantiali & accidentali vacua, omninoq; insensibilis. Quid tum? Inferunt hoc modo. Sensibilium rerum sunt sensibilia principia. Benè, inquam, habet. Omnino enim res naturales, quæ extra animum sunt, & sensui coràm occurrunt, principijs constant actu sensibilibus. Sed & genus communissimum, quod potentia est sensibile, materiam habet, *ἡ πρώτη οὐσία αἰσθητῶν*. Aliud addunt ad constabiliendam maiorem syllogismi. Modus considerationis rerum naturalium proprius, est cum materia & motu. At heus tu: eone tibi ratio inconstans, vt nec rationem meditèrè præsentem? Vis probare, Materiam non esse principium elementorum: hac ratione indicas, materiam esse principium rerum naturalium. Memorem te esse oportebat, ne quid. Quæ porro assumuntur de sensibili natura Elementi, nihil ad nos: id agimus, materiam primam non esse propriam elementorum.

33. Porro autem illi: Corporum sensibilium (aiunt) principia sunt corpora. Si ergò Elementa sunt sensibilia corpora, quomodo ex materia prima existent, quæ sola cogitatione comprehenditur, à motu & sensu aliena? Hoc argumentum eodem fertur cum superioribus, vt materiam primam Elementis affigat. Nos verò, vt materiæ natura illustretur, etiam quod à nobis requiri potest, agemus. Quæri enim potest: Si materia nullo modo sit corpus, vnde corpus naturale, quod ex hac & forma constituitur, adeptum sit, vt dicatur corpus. Est Aristotelis demonstratio sub initium 6. Phys, Ex indiuisibilibus aggregatis, licet multitudine plurimis, nihil resultare, quod sit quantumcunque. Cum autem forma secundum se sit indiuisibilis: si etiam materia esset quantitatis expertis, corpus ex illis naturale non conforet, quod diuidi possit. Quare necessarium omnino est, vt materia secundum essentiam suam sit corpus. Et optimo quidem iure. Nam si separatio est formæ: ergo continuitas est materiæ. At dubium non est, quin actus seu forma separet. Minus etiam dubium esse debet, quòd potentia seu materia continuet. Tum, fac sit quantitas à materia aliena. Ergo accidentia, quæ materiæ inexistunt, habebunt suam quælibet quantitatem. Quod

Lami.

Solut.

Quod duplici nomine falsum est. Nam primum accidentia, quæ sunt formæ, per accidens, subiecti merito, sunt quanta. Deinde, cum in vno subiecto multa simul insint accidentia: multæ quoq; inerunt quantitates, & illæ quidem omnes eiusdem speciei: quod vulgo habetur absurdum. Scio quid contra inferas. Sensibile (inquis) oportet sit corpus. At satis (inquam) est ad corporis naturam, vt fieri possit sensibile, si actum consequatur. Id enim palam profert Aristoteles de hac ipsa materia 2. de generat. & corr. tex. 6. esse eam non *διωάρη σῶμα*, sed *διωάρη σῶμα αἰσθητὸν*: quia iam antè corpus sit, fiat autem sensibilis, suscepta forma. Nec video, quid in commodi ferat corpus illud, quod in scientia naturali, vt primum, ita remotissimum à sensu statuitur; cum præsertim corpora mathematica multò etiam secretiora concipiuntur. At si quantitas (ais) est essentialis materiæ, eritne pars definitionis? proprietas (inquam) est, & prædicatur secundo modo per se: & si materia ex posteriori definiatur, omninò ad definitionem adhibetur. Nam subiectum ex quo aliquid fit, diuisibile sit necesse est, sicut & ipsa mutatio. Verum pergis: Cum quantitas dicatur de essentia materiæ, quid aliud colligendum relinquitur, nisi hoc, quantitatem esse substantiam? Sanè corporeitas materiæ est substantiâ: quia per se prædicatur de materia: ita tamen vt *κατηροίας ῥεῖπω* non substantia, sed substantialis sit. Ergone (ais) quantitas confunditur cum substantia? Minimè. Definita enim quantitas, & terminis certis descripta, genere distinguitur à sola *διεστέον* partium materiæ.

34. Quod tandem illi ex Aristotele stringunt in Aristotelem: Ex non graui aut leui graue aut leue fieri non posse: quæ adhuc dicta sunt satis distrinxerunt. Neq; enim corpus illud materiæ, nisi rareseat aut densetur, adeoq; alterationis vim sentiat, fit idonea & certa elementorum materia.

35. Sic soluta sunt argumenta. Omnis autem de natura error duplici è causa est. Vna est imperitia Logicæ, quæ nec modum, nec methodū scientiæ tenet. Altera est imperitia, qua nec principia è sensibilibus rectè extruuntur, nec extructa sensibilibus dextrè accommodantur.

F I N I S.

Quod duplex nomen est. Namque dicitur duplex
sicut dicitur in philosophia. Et dicitur duplex
quia in uno subjecto multa naturaliter accidunt: multa quippe
invenitur quantitates & illa quidem omnes eundem speciem quod
vulgo habetur ab antiquis. Sed quid contra istas sententias (in-
quis) oportet sit corpus. At satis (inducitur) est ad corpus indu-
tant, ut fieri possit sensibile. In actu constitutum. Id enim patet
propter Aristoteles de hac materia. De generat. & cor. tex.
34. Et dicitur non esse corpus. Sed dicitur corpus esse
quodammodo ante corpus sit. Nam autem sensibile, sicut forma
Nec video quid in communi deest corpus illud, quod in sententia
naturali, ut prima, ita temporalem & sensibilem; cum
praeteritum corpus mathematicum a multis etiam sententia con-
vincitur. At si quantitas (ais) est essentialis materia, erunt pars
definitionis propria (inducitur) est, & praedicatur secundo
modo per se. Et materia ex collectione definitur, omnino ad
definitionem additur. Nam subjectum ex quo aliquid sit, di-
stinguibile sit necesse est, sicut & ipsa materia. Verum per se
consequenter de essentia materiae, quid aliud colligendum
relinquatur, nisi hoc, quantitas esse substantiam. Sed cor-
poritas materiae est substantia: quia per se praedicatur de ma-
teria: ita tamen ut materia non substantia, sed substan-
tialis sit. Quae quantitas constituitur cum substantia
Materiae. Deinde cum quantitas, & tamen sententia de
generat. distinguatur a tota materiae.
34. Quod tamen illud Aristoteles fingunt in Aristoteles
Ex non est in se substantia autem non posse: quia adhuc
dicitur in se substantia. Nec enim corpus illud materiae in-
si tamen autem dicitur alio modo: alio modo videtur de idem
nec & certa est materiae materiae.
35. Sententia sunt argumenta. Omnis autem de natura er-
ror duplex est causa est. Una est imperitia logica, quae nec pro-
dum, nec per hoc sententia tenet. Altera est imperitia, quae
nec principia est sensibilibus recte extinguitur, nec
extrema sensibilibus dicitur accom-
modatur.

1112



94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



Sb.

V. 17

Carolo in Peltim: Porim: ...
Via Boyena cam fir illu



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formavit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio ubi:
ut scilicet prius ipsum incipiat me-
te quam carne. **M**utans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni uel
beram. **Q**ue bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerunt conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. **Q**ue cum gratia plena sit.
prius etiam quam concipiat: post concep-
tionem quantum dei habundat gratia
quous cogitare possit. **U**nus ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uero gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbra perfusa est omnis
creatura. **Q**ue celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fide
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. **D**icitur
quous ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimpleat
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clarissima
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur da esse
licet enim iam eam in uirgine: non enim
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. **H**ec etiam sola pre-
omnibus mulieribus et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. **C**um
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei qui ait. **I**n dolo con-
cepit: uirgo maledictioni legis in qua
erat. **M**aledicta sterilis: sed in maiore
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. **U**nde
ipsa primicia uirginum dum primo
uiginitate sua de obtulit maledic-
tionem legis aboleuit: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. **E**t notandum
quod super hac salutationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alijs
excellentijs dulcis et gratiosus benedictum
uirginem saluare potit: quia hac sa-
luatione quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. **I**n
uobis singularibus dulcissima implen-
tur misteria. **N**am deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset immunis ab omni uel

Deo auspice & duce
 DE
GENERATIO
 NE ET CORRUP-
 ptione ἀπλῶς;
 ἰλλarumq; τῶν λόγων ἐπιώδης;
THEOREMATA
 κατασκευαστὰ,
 ἀνασκευαστικά,
 Proposita
Arbitrio & censura rectè ac sobriè
philosophantium
 In
 Illustri Iulia
 à
Martino Biermanno Ascanio. D.
 Respondente
Hinrico Hesso Brunnicensi.
 Ad 10. diem Iulij.
Helmstadij excudebat Iacobus Lucius, Anno 1589.

